



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XXI. Argumentum. Dauniorum subiecto. Metrodori filii Adrasti parricidium. Arpos regio oblata & recursata à Telemacho. Eius de dividendis hostium regionibus sententia, item de statuendo Rege ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

imminens, militem suum, qui stabat trans arborem, dato signo monet, ut perfidum Adrastum arcerent regressu. Ille iam iam supervenientibus, à quibus interciperetur, simulabat referre pedem, paratus, Cretenses, qui se opposuerant abituro, fundere. Cùm derepente velut è Iovis manu præceps in noxium caput fulmen advectus Telemachus hostem occupat: arripit nequidquam repugnantem manu: evertit ceu sævior procella infirmam segetem; contemptisque precibus, quibus ultimò decipere tentabat victoris misericordiam, per ilia traiecto ferro infelicem spiritum expellit in flammam caliginosi Tartari, tantis utique sceleribus eius sustinendas.

TELEMACHUS.

LIBER XXI.

DAunii ubi primùm viderunt Adrastum vitam amisisse, non suam, non capitis sui cladem deflebant; sed reparatæ libertatis munus sibi mirabiliter gratulantes, porrectis ad fœderatos reges manibus pacem veniamque deprecabantur. At Metrodorus, Adraasti filius paternis præceptis ad simulationem, fraudem, & inhumanitatem à primis unguiculis perperam eruditus, in turpem fugam se dedit; cuius quidem comitem servum haud ampliùs unum admisit. Consciùs hic domino erat non modò omnium, quæ turpiter & crudeliter gesserat, sed ab eo etiam libertate & fortunis plurimis donatus. Tunc verò scelesto consilio cogitabat bene de se meritum ingenti (quod credebat) rerum suarum commodo prodere.

Itaque inter viam occidit averfo vulnere, fectumque à cervicibus caput eius in castra sociorum per tulit spe non dubia, id genus facinus, quod bellum omnino extingueret, ingentem mercedem habiturum. At omnibus tantum scelus averfantibus, in castris occifus est.

Erat Metrodorus in ipfo ætatis flore, pulchritudinis quoddam prodigium, dotibus animi, quæ decebant hæredem regium; ceterum voluptatis illecebra & pessimis exemplis depravatus. Telemachus ergo caput eius intuens: Videtis, inquit, rerum fecundarum virus quàm prò dolor! pestiferum regis fit filio. Perfentiscit minus virtutis, quò sublimiori conditione, & ab sensibus animi est acrior. Scilicet & ego melior non fuerim, nisi adversis rebûs, quas inter (Diis gratia!) auspica bar hunc spiritum, & Mentoris disciplinâ mihi imperare didiciffem.

Congregati Daunii rem unam duntaxat petebant, eamque conditionem ftatuendæ pacis, ut fua ex gente finerentur regem eligere, oblitteraturum virtutibus fuis, quod regiæ dignitati Adraftus impegerat dedecus. Laudabant Deos, qui tyrannum cecidiffent: accedebant non finguli fed per turmas, amplexantes Telemachi manum, illius adhuc cruore portenti asperfam; stragémque victoriam fuam reputabant. Itaque illa potentia, quæ omnibus Hefperiæ Imperiis videbatur allatura exitium, atque in tot gentes terrorem fuum diffuderat, uno corrui impetu, nullis dehinc temporibus refuscitanda; ut eam quidem rectè terræ continenti comparaveris, quæ firma & immobilis specie, in futuram ruinam cuniculis præparatur. Ridetur ad
tem-

tempus inanis labor fundamenta illius tentantium, ut qui nihil debilitet, nihil extrinsecus convellat, nihil supernè concutiat. Interea paulatim dissipantur, quæ introrsum suffulciunt solum, donec derepente subsidens absorptumque immani voragine dehiscat. Eadem fere conditio iniquæ & fallacis potentiæ; quæ quanto felicitatis collocata gradu, hunc ipsum subter egesta fovea suspendit ruiturum. Exedunt pedetentim fraus & crudelitas firmissima fundamenta iniquæ potestatis. Et movet hæc quidem admirationem, metum, formidinem; donec concussa eliditur. Tum languet sua mole oppressa, deiectaque frustra requirit se erigendi subsidium, quoniam vero excelsitatis fulcrò, fide iustitiæque, unde amoris ac fiduciæ incrementa & robur, penitus labefactatò, in casum impellitur.

Coivère postridie Principes exercitus in consilium, Dauniis regem, quem petiissent, permitturi. Iucundum erat aspicere, duos pridie inimicos exercitus non fociari modò, verùm in unum etiam conflari insperatâ amicitia. Nestor prohibebatur hoc ducum congressu, arescente præ luctu & senectutis mœrore animo, oppressoque; fere sicut vespertina pluvia ad surgentis auroræ invidiam luxuriantem florem opprimit superfusa, atque matutino hoc ornamento pubescentes agros exuit. Manabant ex oculis eius perennes lacrymæ. Somnus, temporale saltem ad dolores remedium, recesserat. Spes, humani cordis anima, profligata; cibi fallentes gustum, lux ipsa nihil iucunda præ tenebris; desiderium nullum, nisi à corpore divisum spiritum in cœtus umbrarum inferendi. Nec emendare hæc mala amicorum permissa oratio.

tio. Refugiebat deliquis suū immerfus animus
 menfarum delicias, ferè falivam provocaturas
 Diis. Cohortationibus, quascunque ad perfuaden-
 dum invenire poterat humanum ingenium, non
 vocem, sed gemitus reddidit. Identidem audita
 ex intervallo lugentis suspiria: Pisistrate, fili! heu
 Pisistrate! invitas me. Sequor ecce! invitantem.
 Per te, per te, Pisistrate, mihi dulcescet mori. Ad
 Stygis te margines, amplectar, nate! Hæc voluptas
 una, sola, quam deosco mihi. Horæ subinde
 multæ & continuæ daræ difficillimo silentio, solis
 gemitibus interpellato, manibûsque sursum cum
 oculis uberrimos inter fletus connitentibus.

Expectabant interea collecti duces Telemachum. At ille morabatur in cadavere Pisistrati, cui
 parentabat præter unguenti odorumque effusa
 pretia plena manu iactatis floribûs, & longè am-
 plius acerbis lacrymîs; quibus largissimè fluenti-
 bus: Nunquam, inquit cum gemitu, nunquam,
 suavissime comes, desinet meminisse hic animus, te
 mihi visum Pyli, ducem fuisse Spartam eunti, red-
 ditum versanti in magna Hesperia. Habes mille
 nominibus tibi obstrictum Telemachum. Reda-
 mali amantem. Noveram ego facultatem vigoris
 tui, summorum aliquando laudes virorum supera-
 turam. Et hæc quidem morte non obscura eheu!
 extraxit te: simul autem virtutem orbi rapuit
 primùm orientem, & venientibus annis adæquan-
 dam paternæ. Næ ru, si & sapientia & suada tua
 maturuisset, canescentis genitoris tui sapientiæ ac
 suadæ, quantumvis prodigiosæ, cripuisses solitu-
 dinem. Iam illa dulcedo loquendi, influens in lu-
 bentes animos; iam illa ratio sermonis aperta &
 sim-

simplex; iam illa ad animorum dolores leniendos moderatio, illa denique auctoritas, quæ ex prudentia & facultate consilii nascitur, in te futuræ dignitatis suæ faciebant indicium. Loquenti quis negavit aurem tibi? Quis assensum? quis, quàm sentires rectè, cognoscendi desiderium? Simpliciter prolata verba & nuda quæsitornatus, demittebant se animis mollissima lenitudine, quali roris guttulæ graminibus. Tanta bona, heu! momento ante possessa, perdidimus; & perdidimus æternùm. Pisistratum perdidit, quem inter hæc brachia etiamnum vidit hodiernus Phosphorus. Reliquit nihil præter tristem sui memoriam. Clausisses saltem prius Nestori oculos, quàm nos hanc pietatem tibi præstitimus. Non iam illi restaret tam lugubre spectaculum; non ille restaret miseri genitoris exemplum.

Post hæc suspiria Telemachus cruentum vulnus purgari iussit, quod altum in Pisistrati latus descenderat, ipsum verò cadaver in purpureo lecto extendi, ubi caput eius reclinatum in humeros & exangue maximè referebat arborem nondum adultam, umbræ substrato solo, frondium elato flore aëri quondam iucundam; at maligna denique bipenni fusam humi. Dehinc non iam radicibus suis iungitur, non terræ sinu, fecundo receptaculo germinum, tenetur. Serpit in frondes languor: defluit herbescentis formæ luxuries. Sibi denique non sufficiens sustinendæ collabitur. Profanantur rami, alias deusum adversus iniurias cæli subsidium, sparsi arenâ; & paullatim viriditate spirante labuntur in aridum senium. Mutilus & sine cultu truncus & deinceps nihil est. Sic & Pisistratus effe-

efferebatur mortis spolium, ponendum, quem evitare mortales non valent, rogo. Et iam erigebatur flamma luculentior. Incedebat post funus Pyliorum turba cum fletu, oculis spiculisque armorum depressis, lentoque gradu. Cadavere celeriter deflagante, Telemachus (ut totum funus curandum susceperat) congestos in urnam cineres Callimacho, nuper Pisistrati magistro, his tradidit verbis: *serva has tristes, has pretiosas ex eo, quem amasti, reliquias. Trades genitori tum demum, cum ad eas convalescet repetendas. Eadem res alias tristitiam, alias remedium eius habet.*

His peractis Telemachus contendit in regum consilium. Quem ubi primum conspexere venientem, obticescens universa concio audientiam preparabat dicturo. Ad hæc ille lapsus in ruborem, tum quidem ad habendum sermonem non potuit induci. Laudes, ex omni concione ob res gestas acclamatae, augebant verecundiam. Optabat sibi tunc latebras; visusque hic primò est non solum turbatus animo, sed ambiguus etiam consilii. Demum rogare beneficium cœpit, ut ab huiusmodi laudationibus sibi prorsus eximio liceret esse. Neque id rogo, inquit, quòd laudationes non amo, eas maximè, quas impertiuntur probè intelligentes virtutis; sed quòd vereor, plus æquo ne amem. Depravant enim mortalium animos: admiratione sui inficiunt: inani gloriæ appetitu, fiduciaque audendi accendunt. Curandum, ut mereantur tribui; recusandæ, cum tribuuntur. Nunquam satis laudes, quantumlibet bonæ, à fictis se removent. Delectantur mortalium pessimi, tyranni, inquam, adulatorum encomiis, ut haud quisquam magis. Sed

Sed quid voluptatis habet commendari hoc modò? Illas ego commendationes & solas probo, quas, per Deos si mereor, tribuetis absenti. Quod si verè bonum esse me creditis, credite & modestum esse velle, & refugere insolentes spiritus. Igitur parcite, quæso, mihi; & si cui æstimor præ vulgo, nolite me laudare, ut qui laudum suarum prædicationibus libenter animum videatur indulgere.

Qui deinceps in publica rerum ab eo gestarum commemoratione bacchabantur extra modum, nullum accepere responsum; secutæque laudes sub ipsum ferme exorsum æquabili vultus perseverantia rerudit adeò, ut, veriti, ne offenderetur sui celebritate nominis, ab ea abstinerent. Ceterùm in admirationem præclaræ indolis eius se effuderunt licentiùs. Pervulgatum erat, quàm tenerè amârit Pisistratum, & quo manibus eius studio ultima perfolverit. Atqui ipsa hæc signa benevolentia longè magis, quàm non iam occulta sapientia & virtutis prodigia, movebant exercitum. Unde passim hæc inter se milites: Sapiens est, fortis est, amicus Deorum est, & ætatis nostræ heros unus. Existit in illo, quod non cadit in hominem. Totùmque hoc nobis mirum, totum hoc nobis miraculum est. Humanus est, benignus, fidelis, facilimus affatu, misericors, liberalis, beneficus. Quos debet diligere, non modò diligit, sed & amat. Gratus est & iucundus domesticis. Exuit illum fastum, illum neglectum hominum, illam ferociam. Hi enim vero mores sunt commodi: hi attingunt animos. Sic medullis nostris se inserit: sic universum agmen virtutum suarum venerationem, sic ipse corporum nostrorum meretur oppositus.

Post

Post primos hos iuvenem celebrantium impetus ad consultationem ventum; visumque, Daunios sine rege esse non posse. Plerique presentium regum censebant, dividendam esse, quam armis occupassent, provinciam. Itaque & Telemacho pars oblata Arpos regio uberi solo, frumenta, vina, & quos Minervæ sacra arbor fructus gignit, bis per annum reddens; assignatæque his verbis: Faciat hæc regio, ut sterilem Ithacam cum malè factis tuguriis, immaniæque loca Dulichii insulæ, vastos item saltus Zacynthi recordari deinceps ne velis. Desine genitorem inquirere, quem esse Nauplii vindicta & Neptuni iracundia afflictum Caphareo haud ambigimus. Sed & genitricem, triste per absentiam tuam procorum spoliū, patriamque omitte; cuius gleba multum abest ut perinde atque à nobis oblata miti sit habitu.

Hi sermones ut non offendere iuvenis animum, ita longè quàm Thraciæ aut Thessaliæ cautes gemitus perditè amantium commovebant minùs. Ego verò nec divitiis, inquit, nec ipsis, quæ oblectandi vim habent, oblector. Quid prodest possidere ampliores terras, si curam imperantis intendat subditorum amplior multitudo? Crescit tum scilicet molestia; decrescit libertas. Moderatissimus quisque vitam alioquin degit abunde miseram, etiam cum non aggravatur misera necessitate regendi homines indociles, turbulentos, iniustos, insidiosos, & beneficii male memores. Si quem amor sui impellit ad capeffendum imperium suæ duntaxat auctoritatis, oblectationis, & excellentiæ habita ratione: impius, tyrannus, flagellum generis humani est. Contra si quis regendos populos
uni

uni ipsorum suscipit emolumento, tutor potius illorum, quam dominus est, quia oneratus molestiis & laboribus infinitis ne desiderium quidem admittit amplificandæ propriæ vel auctoritatis vel potentia. Pastor scilicet, nisi gregem ipse suum velit conficere, sed tueri cum vitæ periculo, neque curam aspernari procurandi salubris pabuli; ne utquam cogitat aut locupletare ovile suum, aut spoliare alienum. Quid enim hoc esset nisi pondus addere, quo premitur, ponderi? Ego (nam & hoc adiecit iuvenis) etsi nunquam regnaverim, doctus tamen optimis legibus & institutis sapientissimorum, qui leges condidit, hominum non ignoro, quam arduum sit regere urbes & Imperia. Contentus itaque patriis finibus utcumque egenis & modicis, dignitatis abunde possideo, si iustè, si sanctè, si fortiter illos gubernabo. Et hercle (quod vereor) voluntate mea gubernabo citius. Dii velint, velint, inquam, in iisdem sceptrum gerat è naufragiis superstes genitor, donec ad extremos proVectum apices ultimæ senectutis reposeat ipsius naturæ conditio: ut eo diu magistro perdiscam cupiditates meas edomare, & ex his edomitæ cupiditates universæ gentis moderari! Denique: Audite, inquit, quotquot hîc præsentæ reges deveneror! & quod exponere me salus nimirum vestra iubet, percipite. Dauniis regem iustum si dabitæ, reget eos iustè & legitimè; quodque ex Adrasto discere non potuerunt, docebit, quanti intersit servare fidem, & ex alieno non ditescere. At quamdiu gubernabuntur à rege sapiente & iusto, nihil movebunt. Quid? quod pro tam bono rege necessitudini vestræ se dabunt: pro dulci pacis & fortunato,

nato,

nato, quo fruuntur, otio habebunt gratias: non modò inimici non erunt, sed deprecatores etiam salutis vestræ apud Superos. Rex vobis sceptrum, populus se ipsum debet vobis. Iam verò terras eorum portionibus distribuite. Calamitates certè à me nunc recensendas non evitabitis. Hic populus, spe prohibitus meliorum, renovabit bellum. Pro libertate sua tam pugnabit iure, quàm faventibus, qui tyrannos oderunt, Diis; qui si semel belli causam asseruerunt sibi: nomen vestrum labem accipiet, felicitas dissipata inanissimum finem. Consilium & sapientia Principes, fortitudo duces, copia rerum terras vestras destituet. Delibuti vestrà ipsorum fiducia offeretis vos temeritatibus: afferetis verè & saniora suasuris silentium: rebusque vestris fortuito collabentibus, inferetis vos omnium gentium ludibriis, insultantium: Hæne gentes illæ, quæ attingentes cælum orbem legibus suis universum vinciant; nunc verò ne ab hostibus vinciantur ipsæ, profugiunt? Ludus gentium cæterarum & sub pedibus calcantium sunt. Deorum hoc opus est; hoc præmium iniusti, superbi, & inhumani populi.

Illud porrò attendatis velim, divisâ inter vos, quam expugnâstis, provinciâ, se populos omnes, qui quidem terris vestris iunguntur, adversum vos sociaturos; fœdusque abominantes, quod Hesperia salutem contra iniquos Adraſti conatus pepigistis; rectè vos ipsos publicæ tyrannidis arguent. Quodsi tamen & Daunios, & quidquid præterea est gentium circum vos, armis vestris contigerit superari: hæc ipsa certè victoria res vestras profligabit. Sic enim habete.

Hoc

Hoc consilium societatem animorum vestrorum rumpet. Cùm enim non sit profectum ex disciplina æquitatis, deerit vobis ratio certa & evidens definiendi, quid quantumque vestrum quivis ex iure sibi possit asserere. Petetis quisque scilicet, ut portio acquisitæ regionis respondeat magnitudini bello navatæ operæ. In nullo vestrum residebit has inter gentes auctoritas, ob quam portiones definiendam interturbare habeatur nefas. Hoc igitur caput belli erit, ad feros etiam posteros transmittendi. Præstat herculè iustum & humanum esse, quàm ambitionis impetum per tot discrimina, per tot, quas præterire non licet, calamitates sequi. Considerate, quæ pacis amœnitas? quæ illi annexa, quàm sine nævo, quàm sine acerbitate oblectatio? quæ copia rerum? quæ finitimorum amicitia? quantum iustitiæ semper coniunctum decus? quæ laus, ob integritatem fidei nominari arbitrum quarumlibet gentium externarum? Hæc bona, hæc numquid aptiora ad intuendum ævum, quàm ex occupato regnorum dominatu profecta inanis commendatio? Videtis Principes, ut rerum mearum sponte non memor vobiscum agam. Mementote igitur acquiescere dissuadenti, volentique ex proposita veritate vobis, quos tantopere amat, displicere.

Hæc cùm Telemachus, quanta nunquam adhuc auctoritate, disputat, laudésque ab attonitis regibus consequitur senilis in consultando prudentiæ: incerti quidam strepitus per castra propagati eodem demum penetrârunt loci, ubi habebatur concio. Inter alia hæc in aures significantiùs lapsa: Advena quidam ingentis speciei & planè imperatorio

D d

habitu

habitu se ad hanc oram applicuit. Diuturnis calamitatibus multisque, sed animo semper inconcusso, facile intuentes intelligunt esse iactatum. Qui ex maritimis populis littori praesident, opposuerunt se velut inimica voluntate facturo exscensionem. At ille strenue expedito gladio ostendit paratum ad imperum excipiendum esse; ceterum pacem rogare & gratiam hospitalitatis. Tum oleam tetendit supplicis specie. Auditus est. Petiit autem duci ad reges Hesperiae; ad quorum alloquium modo huc tendit.

His nunciis exactis advena intravit consilium tanta gravitate oris, ut in stuporem magis quam admirationem raperetur concio. Nefas haud fuisset suspicari Martem esse, cum in Thraciae montibus cogit sponte ad edendas strages ruentes exercitus. Fuit autem haec eius oratio:

Pastores gentium, curam vel tuendae patriae vel optimarum legum hic congregati! Audite hominem, fortunae cladibus, quas a vobis procul & semper Dii amoverint, confectum. Diomedes sum rex Aetoliae, reus vulneratae ad Troiam Veneris. Cuius quidem vindicta nusquam terrarum unquam me destituit. Neptunus, qui precibus natae è pelago Divae reluctari non valet, me permisit irati maris libidini. Quoties hinc ego impactus ad cautes & scopulos? Ferrea meos ad gemitus Venus perseverabat eripere spem videndi Imperium, meos, dulcissimam patriam. Et hercle visurus sum nunquam, quae mihi charissima. Post tot itaque clades maris, amplector hoc ignotum littus; sedes fatigato tantisper propitias & tutas precor. Si Deos, & Iovem maxime, quem hospitem curam

curam habere credimus, timetis; si humanitatem colitis: concedite mihi obsecro in his vastis regionibus particulam sterilis soli, aliòsve locos, nudos humani cultus, obsitos arenis præruptisque faxis & cotibus, ubi cum fociis calamitatis meæ constituam urbem, quæ velut imago amissam patriam obiiciat tristi memoriæ. Spatiola quædam, quæ vobis aliàs nec ufui, nec curæ sunt, petimus. Pacatos nos habebitis, vobisque coniunctissimos. Hostes vestri hostes nostri erunt, & una omnium salus. Nec aliud paciscimur, nisi ut nos legibus nostris vivere patiamini.

Inter hanc orationem Telemachus, defixis in Diomede oculis, vultu suo animi motus non simul, sed singulos, & ut in loquente apparuerant, exhibuit. Imò Diomede feriem calamitatum suarum referre aggresso, ipse spem ingredi non dubitavit, hunc tanta gravitate virum genitorem suum fore. Enunciato ergò Diomedis nomine, suffuso pallore colorem mutavit flosculi instar, cuius decus imitiores ab Arcto flatus delibârunt. Querelæ deinde de diurna Numinis invidia acriter perstrinxere juvenilem animum, quoniam & patrem & se in eadem versatum esse meminerat. Obortis igitur partim præ dolore, partim præ gaudio lacrymis, ad amplexandum Diomedem strenuè progressus:

Ulyssis, inquit, quem nôsti in occupandis Rhesi equis tibi utilem fuisse, filius sum. Dii non ipsum, quàm te, habuere mitiùs. Nisi Erebi oracula me fefellere, vivit adhuc; at non vivit mihi, quia extra hunc amplexum. Reliqui Ithacam, ut recuperarem eum mihi. Sed nec patria valet à me recuperari,

cuperari, nec pater. Disce ergo, quæ mea calamitas; atque inde, quantum tua me moveat, statue. Infelicitatis hic fructus est, intelligere, quantum miserearis infelicium. Ego itaque, quamquam & ipse alienigena, possum tibi, magne Diomedes (neque enim, tametsi inter patriæ meæ dolores & vulnera adultus, tuam ex rebus bello gestis celebritatem non didici) possum, inquam, tibi post Achillem inter Græcos invictissimo succurrere aliqua. Inhumani non sunt, quos hîc vides Principes. Sciunt humanitate virtutem & stabilem gloriam contineri. Magnorum virorum laudibus novam affundit lucem calamitas. Deest aliquid eorum magnitudini, si numquam fuerunt infelices; exempla scilicet patientiæ & constantiæ. Tangit calamitosa virtus animos, in quibus sensus honestatis nondum elanguit. Nostrum itaque erit, ærumnæ tuæ fomenta prospicere. Miserunt te huc Dii. E cælo tu nobis donum, quod ex miseriis suis posse recreare pars felicitatis nostræ reputabitur.

Ita loquentem Diomedes diligenter intuitus, sensit se totis visceribus efferrî. Inter mutuos deinde amplexus, quibus se velut pro veteri consuetudine strinxerunt; Fili, inquit, & verè Ulyssis fili! Video eandem oris atque orationis gratiam & suadam, idem ingenium, sapientiâque eandem tibi cum genitore esse.

Sed & Philoctetes Tydiden iam ad memoriam posteritatis insignem salutavit cum amplexu. Relatôque inter se, quibus quisque casibus esset perfunctus: Utique periucundum, inquit, tibi erit sapientissimum Nestorem denuò intueri. Adhuc vitæ, imò elata nuper sobole ultima, Pisistrato,
lacry-

lacrymis superest. Veni, solare. Facilius ab infelice, quàm ab alio, infelix admittet solatium.

Mox ad Nestoris tabernaculum itum. Atque is ægrè Diomedem agnovit tristitia miscente præteritorum memoriam. Ceterùm Diomedes nec momento tenuit lacrymas; neque potiùs salutationem, quàm mœrorem videbantur sociare. Tum quidem præsentia istius amici paullatim erexit oppressum senis animum. Nec iam obscurum erat, dolorem eius interpellari oblatâ copiâ narrandi, quæ ipse; & audiendi, quæ Diomedes perulisset.

Dum vacant ambo mutuis sermonibus; revocatô ad rem præsentem consiliô, regibus suadet Telemachus, ut Arpis Diomedi attributis, Dauniis Polydamantem ex eadem gente regem darent. Erat Polydamas belli gloria & muneribus clarus, à conspicuis gradibus militiæ prohibitus Adraasti invidia; veriti scilicet, ne meliores successus, quorum auctor unus volebat haberi, operæ tam periti viri adscriberentur. Et certè is regem clam frequenter admonuit, in hoc bello, quod adversùs tot gentes suscepisset, præter suam Imperii etiam salutem apertè periclitari. Neque omisit eum inducere, ut cum vicinis simpliciùs & moderatiùs ageret. At quibus gravis est veritas, iis graves quoque esse necesse est, qui verum dicere non verentur. Istorum hominum nec fides movet, nec studium, nec, quem cupiditate rerum suarum exonerant, animus. Obfirmabat Adrastum species indulgentis fortunæ ad saluberrima consilia, quæ, etsi contempta, sequebatur aliud atque aliud in dies ex hoste decus. Insolentia, doli, impetus semper inclinabant in partes eius victoriam. Clade, cuius

metum tam diu ingessit Polydamas, nulla sequente, illudebat Adrastus illam, opinione sua meticulosam, prudentiam, quæ cognitione futurorum malorum se fatigaret. Polydamantem ergo, ut sibi permolestum, excludebat officiis, patiebatûrque solitudini & inopiæ conflictari.

Equidem Polydamas initio statim in hac regis offensa fuit. Ceterum ex ea legit fructum, quo adhuc maximè caruit. Didicit inde, vanam esse fortunam, quoties indulgentior. Sapiebatque damno suo; ut infelicem delectaret fuisse. Paullatim affuevit opportunè tacere, victitare paucis; vero placidè insistere, virtutes interiores & reconditas, quæ honestati ceterarum, venientium sub aspectum, longè antecellunt, colere; exuere demum se consuetudine hominum. Mandârat vitam solitudini, in quam mons Garganus procumbit. Rupes medio flexa sinu præstabat rectum, lapsæ è rupe aquæ potum, poma non nullæ arbores. Agellum colebant duo mancipia eius, quibuscum laborem ipse iungere solitus. Reddebat terra tam largum stipendium, ut inopi nihil esset inopiæ. Poma & legumina abundabant. Florum, quos ex odore laudamus, nullum deerat genus. Hic ergo ille deplorare fortem mortalium, quos stolidi regis unius cupiditas immittit exitio: hic expectare in dies Adraستي à Diis, quàm iustis, tam patientibus casum. Quantò ad maiora incrementa grassabatur regis felicitas, tantò credebat paulò post certæ ruinæ eius adfuturos nuncios. Quippe florens inter errores suos imprudentia, potentiâque elata sine modo, & extremis summi absolutique imperii apicibus insidens, regum atque regnorum præcur-
runt

runt interitus. Adraſti ſtrage & morte nunciatis nihil præ ſe ferebat lætitiæ, quòd ſeu id genus mali præſenſerit, ſeu tyranni iſtius iugum exierit. Gemitus duntaxat edebat metu imminentis Dauniæ genti ſervitutis.

Hunc ergo virum Dauniis Telemachus ſuaſit præficiendum; cuius quidem virtutem & fortitudinem haud tum primùm cœpit habere perſpectam. Telemachus enim (quæ erat Mentoris inſtitutio) non negligebat pernoſcere tam utiles, quàm perverſos mores perſonarum, quibus ampliora officia tum apud fœderatas gentes, quibuscum militabat, tum apud hoſtes erant demandata. Præcipua eius cura fuit, ubique indagare in homines, quos aut dotes præclaræ animi, aut ſupra vulgum virtus reddebat conſpicuos.

Non omnibus regibus initio prorfus è re viſum, Polydamanti committere inſignia. Didiciſſe experientia, quantum Dauniorum regem, qui arma & amet & peritè tractet, timeri oporteat. Polydamantem autem re præſtare militari. Ab eo itaque periclitari ſummam regnorum ſuorum poſſe. Neque Telemachus negabat Polydamantem egregiè eruditum ad bellum. Addidit tamen eum præterea eſſe pacificum. Atqui hæc duo ſunt, inquit, quæ requirimus in rege. Qui ærumnas, discriminæque & labores belli non ignorat, hercle lubentiùs ſubterfugiet bellum, quàm qui nunquam in armis fuit. Polydamas commoda tranquillæ vitæ guſtare & collocare didicit. Adraſti conſiliis manus pedesque oppoſuit: ſecutura ex iis mala proſpexit. A Principe ignavo, rudi & imperito quod timeatis, longè maius eſt, quàm ab illo, qui ſuæ ipſius cogitationi

tationi res omnes pensandas subiiciet. Rex ignavus atque indoctus, nec instructus usu, videbit oculis non suis, sed unius vel chari hominis, quem rerum suarum partiúmque depravat studium, vel inquieti & ambitiosi servuli. Hac ergo cæcitate in belliretia non sentiens, quia imperitus rei, quam agit, se induet: nunquam ab eo eritis securi, quia ipse nunquam est à se ipso securus. Violabit pacta: festinabit vos in eas angustias, ut aut ipsum à vobis aut libertatem vestram ab ipso perire necesse sit. An ergo non erit utilis, non tutius, non tempori, non honestati congruentius, sustentare, quam in æquitate vestra Daunii ponunt, fiduciam; iisque regem dare, qui hac amplitudine dignitatis non videatur indignus?

Probabat hanc Telemachi orationem universa concio. Itur ergo ad Daunios, expectatione responsi permolestè suspensos, ut indicaretur iis, placere, si Polydamantem regem statuerent. Proclamato igitur illius nomine: Nunc demum, inquiunt, nobis certum perspectúmque est, fœderatos reges agere simpliciter, & æternam pacem habere in animo, quoniam virum decrevissent tam præstanti virtute, tam idoneum sceptro. Si ignavum, effœminatam, malè institutum suafissent: satis licuerat credere, ruinam gentis nostræ quæri, & qua assuevimus regi, disciplinæ. Neque conceptus ex voluntate tam acerba fraudulentæque dolor in animis unquam nostris refedisset. Nunc autem frequens in Polydamantem consensus argumentum est, verè nobiscum agi. Nimirum confidunt sociati Principes, dum nobis præficiunt dominum, à detrimentis libertatis & gloriæ nostræ

tota

tota mente abhorrentem ; nos facturos tantum iuste & ingenuè. Ceterum Dii testes, ad fontes suos retro prius lapsura flumina, quam ex animis nostris debitus amor tam beneficis populis. Idem Dii memoriam iubeant beneficii, quo lux hodierna nos cumulat, accipere ultimos è nobis posteros, ac per Hesperiam universam de progenie in progeniem revocata aureæ ætatis otia transmittere.

Institit deinde Telemachus, ut Diomedi pro condenda colonia permitteretur Arpinus ager. Gens nova, inquit, vobis incrementa sua debebit in regione, cultus vestri aliàs exorte. Meminisse iuvat, amorem meritò hominem ab homine requirere. Ampliorem terram esse, quam necesse sit vicinàs premi ; & si vicinos velimus, optimos utique esse, quibus auctores extitimus salutis. Moveat vos regis calamitas, interclusi reditu ad suos. Coniunget illum Polydamanti vinculum Iustitiæ & virtutis, quod vinculum unum iuxta ac firmissimum. Ergo & vindices pacis erunt, causaque, ut terror nominis vestri in omnes circumgentes, si quos concitârît amplificandæ cupido potestatis, propagetur. Ecce regem vobis, Daunii, tribuimus, quo ducente se decus vestrum ad ipsa sidera extulerit. Ergò & vos, quod rogamus, regi omni ope & miseratione dignissimo terræ portionem, vobis inutilem, tribuite.

Responsum à Dauniis nihil sibi fas esse negare Telemacho, quo auctore meminissent se regem Polydamantem habere.

Hunc ergo in solitudine ad accipienda Imperii insignia illicò surrexerunt conquistum ; posteaquam ad condendum novū regnum fertiles Arpini planicies

Diomedī tradiderunt. Fuit hæc res sociis incredibili lætitiæ; quippe partes suas hisce ex coloniis plurimum aucturis, si pessimo Adraſti exemplo Daunios finitimarum regionum nefaria libido invaderet. Interea Principibus tota cogitatione adornantibus reditum, & ipse Telemachus, postquam Diomedī seni, afflicto Nestori & Herculearum sagittarum digno hæredi Philoctetæ amplexus ultimos inieciſet, inter uberes fletus cum milite suo profectus est.

TELEMACHUS.

LIBER XXII.

Ardebat Telemachus intolerabili desiderio rursus videndi in urbe Salento Mentoris, & dehinc cum eodem ineundæ in Ithacæ navigationis, quò genitorem non dubitabat rediſſe. Ingressus ſalentinis agros fatis mirari non potuit, videns regionem, quam incultam ferè desertamque reliquiſſet, totam horti diligenter inſtituti ſpeciem, & operarum ingentem multitudinem ostentare. Adorabat ergo in his veſtigia Mentoreæ ſapientiæ. Sub ipſum autem in urbem ingreſſum advertit numerum eorum artificum, quorum opera voluptatem humanæ vitæ promovent, luxumque oppidò defluxiſſe. Offendebat hoc juvenem, quippe ingenio cupido ſtudioſoque rerum, imperatoriam ſpeciem ac dignitatem præferentium. At continuò ſalubriora ſubiecit animus. Ibat in redeuntis occurſum Idomeneus cum Mentore, quibus ipſe procul viſis ſimul tenerrimo gaudio cœpit perfundi. Quamquam autem res proſperè contra Adraſtum geſſerat, verebatur tamen, ut Mentoris arbitrio ſatiſfecerit. Unde quò
ille